

Epistola Dedicatoria.

sunt Doctores, quos foelici mortis Philosophicæ ingenio sophia Iugulat ad vitam: Si mensa parata, ea est, de qua sumitur panis vi-
tae, & intellectus: Si vinum mistum, illud est, ad cuius delicias Christi Domini sponsa introducitur, & quo generosiores animi diuinitus incalescant, ut alis Angelicæ puritatis, cuius germen cælestis est ille liquor, in sublime euecti, defecatioris naturę miscean-
tur intelligentijs: Si illæ militares Ancillæ, quæ ad arcem accur-
runt, sunt omnes scientiæ naturales, quæ tanquam euocandorum Theologiæ foetuum obstetrices, Diuinæ Sapientiæ subseruiunt.
S I Q V I S E S T P A R V V L V S, inquit Diuinilla Sapientia, **V E N I A T**
A D M E. Accessit unus è nostris, & accedens omnes ferè secum in illam sapientiæ arcem intulit scientias. Is est R. P. Ioannes Lale-
mandet, parvulus quidem, si nomen, & institutum Ordinis nostri in humilitate fundati spectetur; at si foelicissimi animi dotes, eaque mens sublimis, quam tot Diuinæ lucis radijs a persam in suis scri-
ptis posteritati velut delibandam exhibuit, maximum Catholicæ veritatis incrementum, vir omnium scientiarum par Imperio, cuius tota vita clarissimarum virtutum fulgor fuit, doctrina toni-
truum, & in comminuendis, & effringendis erroribus, rebusque ad sua Elementa resoluendis, vis, atque impetus, fulmen. Hic discursus humani metas, & omnes naturæ fines fœliciter trans-
gressus, totumque rerum Theologicarum ambitum complexus, rebus nouis intulit auctoritatem, antiquis pondus, obsoletis ni-
torem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubijs fidem, omnibus verò naturam, ordinem, pulchritudinem, vires, maiestatem; non aliā sanè mente, nisi vt nostra MINIMA Religio, quibus potest vi-
ribus, Diuinæ veritati ancillaretur: Ideoque ad illam Turrim Da-
uid, è qua mille pendent Clypei omnis armatura fortium, suos ad defensionem Philosophicos clypeos (sic enim suas Disputationes vocat) appendit: Inter quos pretiosioris operæ, & nobilioris elab-
orationis selegitur, quos Metaphysica, Diuinæ quodammodo consanguinea veritati, scientiarum Regina ad TVAM CELSITV-
DINEM deferret, vt faciliori transitu tanquam de nota sibi manu,
accepti, in cœlestis Sophiæ armamentarijs, quorum claves à Deo
scientiarum, TVO Arbitrio commissæ sunt, reponantur. TVVM
est ILLVSTRISSIME PRINCEPS ponere sapientiæ mensam, contem-
plari è specula comedentes, & bibentes in Castrensi scientiarum coniuicio, consurgere, & arripere clypeum. Omnis sermo Dei i-
gnitus clypeus est sperantibus in se: tota TVA vita, concio est, &
flammeus Clypeus, cuius defensione protegitur Ecclesia. Ut, dum
crinita fontibus hydrys Tysiphone hæretica, tetrâ aspiratione flo-
rentissimas Germaniæ Provincias efflat, dumque ruentibus ubi-
que Arcibus, oppidis, vrbibus, Templis, Altaribus, legibus, noua
quædam monstra hominum, indicto mortalibus immortalibus.
que bello coniuratis animis auitam pietatem rident, sanctiones
sacras violant, Dei immortalis puluinaria exaugurant, & in san-
ctissi-